

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum

Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.

Band: - (1746)

Heft: 4

Artikel: V. Cl. Sam. Werenfelsii ad Gothh. Heideggerum epistola

Autor: Werenfels, S.

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394591>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 18.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

V. CL. SAM. WERENFELSHI
ad GOTTH. HEIDEGGERUM
Epistola.

QUOD literis tuis humanissimis atque elegan-
tissimis serius quam deberem, respondeo;
dabis V. Cl. valetudini meæ, quæ cum
necessariis negotiis expediendis vix sufficiat, fa-
cit, ut amicis tardius scribam. Quam mihi in
literis tuis tam benigne offers amicitiam, ego
vero amplector atque deosculor; meamque vi-
cissim, si tanti tibi videtur, sancte polliceor.
Conciliatore apud me non indiges: satis te mihi
dotes ingenii, rara eruditio; satis quas ad me
dedisti literæ, conciliant. Video ex iis quam dex-
tre, quam servide amici caussam agere scias, eti-
am minime bonam. Quis non tam fidum sibi
contingere amicum exoptet; præsertim cum o-
mnes, & ego præ cunctis, indigeamus identi-
dem amicis, qui infirmitates nostras tegere & la-
psus excusare norint. Talem cum in te invene-
tim, inveni thesaurum hoc tempore rarissimum.
Ages itaque in posterum, sicuti necesse est, &
meam caussam, & ages, si penitus pectus hoc
meum inspexeris, non minori ardore, quam Cl.
Suiceri Tui. Quid vero audio ex Literis tuis ad
Cl. Zuingerum scriptis? litem ingratam in nescio
quibus scintillis denuo suscitari, imo periculum
esse, ne in grave incendium erumpat, ni Deus
ἀπὸ μηχανῆς succurrat. Nimirum dissidium Me-
taphysicum dignus vindice nodus est, ut fabula
lætam

lætam catastrophen habere nequeat, nisi Deus ex
 Machina advocetur. Miror, Tiguri bellum geri,
 & geri in mei, ut scribis, gratiam, dum nos
 hic Basileæ rerum omnium ignari in alta pace
 conquiescimus. Quod ais, vehementer Basileam
 indigere viris pacem amantibus, atque adeo ma-
 gis, quam Tigurum, non intelligo. Si me in-
 ter eos numeres, qui pacem suo pretio non æsti-
 mare norint, nondum me nosti, Vir Amicissi-
 me! Crede mihi, nisi pacem omnibus rebus an-
 teponerem, non egissem, non tulisse, non
 impedivissem ea omnia, quæ ejus consequendæ
 gratia & egi, & tuli, & impedi vi: Usque eo
 ut amicis ad unum omnibus famæ & existimati-
 onis prodigus visus fuerim. Si his omnibus ni-
 hil profeci, si invitus in nova bella trahor, de-
 fendam me, quam potero fortissime: sed Deum
 hominesque testor, me belli auctorem non esse.
 Sancte testari possum, me inde a duobus & am-
 plius mensibus literas ullas neque Tigurum scrip-
 sisse, neque Tiguro accepisse, neque quicquam
 eorum cognoscere, quæ ibi pro me aut contra
 me geruntur, neque cognoscere velle. Liceat
 mihi tantum per adversarios quiescere. Si qui
 sunt Basileenses, qui aliquid dicunt, aut agunt,
 aut scribunt, quod novam liti materiam præbe-
 re possit: ii, si se mihi amicos profitentur, aut
 amici sunt parum prudentes, aut clandestini & cal-
 lidi inimici. Si Cl. *Suicerus* tam sedulo expiscatur,
 ut innuere videris, quæ durante lite nostra hinc
 inde scripta sunt, neque tranquillitatem publicam
 quærerit, neque tranquillitatem suam. Ego talia
 scire nolo: &, si quæ hujusmodi ad me defe-
 runtur, delata autem sunt ad me satis atrocia in
 me dicta, operam do, ut illorum possim in si-
 lentio

lentio obliuisci: neque vindicabo unquam, nisi
 ad id cogar. Neque illi pacis studiosi sunt, qui
 ad Cl. *Suicerum* ea deferunt, quæ animum ejus,
 quem jam plane sedatum credebam, denuo in
 me irritent, aut in eos, qui pro amicitia, qua
 me prosequuntur, me tam inclementer tractatum
 indigni tulerunt. Quorum quidam si, ut elegan-
 ter ais, fecerunt prope plura dolentibus; nihil
 novi fecerunt. Est hoc amicorum, ut amici
 caussam servidius plerumque agant, quam suam.
 Et tu, mi Heideggere, quem leges amicitiae al-
 tissime imbibisse credo, eodem modo ageres in
 causa amici, si opus esset. Quam vereor, ne
 hic deludamur a malitiosis hominibus, quibus
 volupe est alios jurgantes & convitiantes cernere;
 ut dum alter alterius famam conspurcat, ad u-
 num omne, quod reliquum habent, existimati-
 onis amittant: hoc tanto certius evenit, quod
 fieri nequeat, quin in istis certaminibus multa
 indecora dicamus & faciamus, & personis quas
 sustinemus indigna: *Si virum gravissimum risui ex-*
ponere vis, committe eum cum alio, & voto potitus
es. Velle, ut alii potius, quam nos hoc spe-
 ctaculum otiosis & profanis derisoribus præbere-
 mus. Sed, si invitus in scenam producor, su-
 stinebo personam, ut potero; & operam dabo,
 ut discrimin appareat inter Theologorum con-
 flictum & muliercularum rixas: Peto tamen, si
 omnino bellandum mihi denuo est, aliquot Sep-
 timanarum inducias, quas valetudini curandæ
 destinavi: Qua de cauſa etiam rogo, ut tantis-
 per differas responſionem ad has literas meas;
 tuæ enim me Basileæ non offenderent. Tum,
 si id evitare non possum, prælium redintegrabi-
 mus.

mus. Ceterum de Literis tuis ad me scriptis, securum te esse jubeo. Neque *Paravicinus*, neque alii, quos nominas, eas viderunt. Legi eas Cl. *Zuinger* & præterea duobus Viris gravibus, apud quos tute omnia mea depono, qui illis vehementer sunt delectati. Inspiciendas nemini dedi. Alias rescripsisti Cl. *Zuinger* literas, quarum tenorem *Paravicinus* tecum communicavit, continent enim judicium de meo Scripto perquam benignum. Quomodo phrases ex literis ad me scriptis ad studiosos, de quibus loqueris, manare potuerint, non concipio. Hoc tibi persuadeas velim, nullas esse meas partes in rustico illo iudicio imperitorum hominum. Non usque adeo Gratiis inimicus sum: Vale plurimum Vir Clariss. atque ut promittis me constanter amare perge. Permittent hoc tibi, spero, tui Amici, tametsi amici mei esse nolint. Vale iterum & Salve

Basileæ 3. Julii. 1700.

a Tui observantissimo amantissimoque

Sam. *Werenfelsio*.

P. S. Cum inducias pro me peto, peto etiam pro iis, qui caussam meam inter vestras suscepserunt, nollem ut propter id quidquam incommodi paterentur: quod in hac caussa se amicos meos ostenderunt.

Histo-